

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and appears to be a list or index of some kind.

F I N I S





Disputatio II.

Continens *decem* Articuli I.

De Peccato originis
P R O F O R M V =
L A C H R I S T I A N Æ
C O N C O R D I Æ.

Quam assistente divinâ gratiâ

SUB PRAESIDIO

Reverendi & Clarissimi Viri,

Dn. LEONHARTI
HUTTERI SS. THEOL. D. ET
Professoris Publ. in celebri Academiâ VVit^{te}
bergensi in Collegio disputationum Theologi-
carum privato proponit & exhibet

M. HENRICUS VELSTENIUS
Leosteniensis, Saxo.

*Ad diem 6. Augusti, anno 1603. ho-
ris pomeridianis.*

VVITEBERGAE, Ex Officina Cratoniana.



5





Reverendo & Magnifico Viro,

Dn. POLYCARPO LYSERO
DOCTORI, THEOLOGO EX
cellentissimo.

ET

Reverendo Clarissimo Viro,

Dn. M. CVNRADO BLATTIO

Serenissimo Saxoniae Electori à concionibus sacris
& consilijs Ecclesiasticis.

*Dominis fautoribus & Patronis meis magnis & devotè sus
spiciendis, hanc de peccato originis de Æthodot, à me concin
natam, debitæ reverentiæ & gratitu
dinis ergo*

demissè offero & consecro.

Respondens.





Disputatio I.
DE PECCATO ORIGINIS.

Primum sanctissimæ Concordiæ articulum sub
disputationis Incudem revocaturi: a vitum istud &
hereditarium originis malum, in intimis natura latebris & oc-
cultissimis cordis recessibus absconditum, rectè & verè agnosce-
re; non modo summe necessarium; sed & prægnanti cum utilita-
te coniunctum esse, magnopere censemus. Chem. in Ex. Concil.

Utilis &
necessaria
est cogni-
tio doctri-
næ de pec-
to originis.

Trid. p. 164. Apolog. Aug. Conf.

2. Vt enim morbo corpori salutarem medicinam facere non potes, nisi
de morbi conditione & qualitate assatim constiterit: ita anima morbo longè pestilen-
tissimo vix efficaciter medeberis, nisi verè eius notitia prius animus imbutus fuerit.

Ratio.

3. Cognitio verò huius summæ adeoq; profunda corruptionis humanæ naturæ,
quæ nulla ratione cognosci potest, ex solius scripturæ revelatione petenda & eru-
enda est. Rom. 7. v. 7. Aug. contra Iul. lib. 4. c. 15. Artic. Simal.

Huius co-
gnitio à
scriptura
petenda.

4. Proinde & nos indubitatis istis sacrarum literarum, vestigiis insistentes,
hanc de peccato originis *δέξοδος* tribus capitibus *μεθοδικώτερος* includemus: i-
ta ut 1. caput statum controversiæ principalem & minus principalem, 2. *θεω* sive
affirmativam, 3. *ἀντιθεω* sit expediturum.

CAPUT I.

Origo & Status controversiæ

1. Quemadmodum Concordia nostra præcipuè illorum errorum declaratio-
nem pertexit, qui inter Theologos Augustanæ Confessioni addictos oborti fuerunt:
ita status controversiæ, quem hoc de articulo format, non est generalis, sed specia-
lis; unice directus adversus recentiorem illorum errorem quos à Flacio Flacia-
nos appellitare solemus.

Status con-
troversiæ
est unice
directus
adversus
Flacianos.

2. Hi enim secuti Magistrum suum Flacium, contenderunt peccatum ori-
ginis esse ipsissimam hominis & animæ humanæ substantiam atq; naturam: a-
deò ut iam post lapsum inter hominis naturam & essentiam, interq; peccatū Ori-
ginis, nihil omnino discriminis sit reliquum, Flac. part. 2. clavis script. in tract. de
peccat. originis.

in *ψευδο-
ξίω* Flacia-
norum.

A 2

3. *Θεω* sive

ἁφ' ἑαυτῶν
erroris Fla-
ciani.

3. Obortus autem fuit hic error ἐκ conflictu de libero arbitrio & viribus hu-
manis in Vinariensi disputatione, anno 1561. inter Victorinum Strigelium & Mat-
thiam Flacium Illyricum instituta.

ἢ ψευδοδ' ἁ-
ξία. ἀν' ἑαυτῶν
Strige-
lij.

4. Hic enim Victorinus ut ἀνεγχεῖται humanae voluntatis astrueret; libe-
rum arbitrium in rebus spiritualibus non prorsus exspirasse, nil quicquam dubita-
vit affirmare: hoc potissimum inductus argumento: Accidens non potest corrup-
pere substantiam. Peccatum Originis est accidens: liberum verò arbitrium est i-
psa substantia animae principalis, nempe mens & voluntas. Ergo.

5. Hic Flacius in ardore disputationis Minorem negavit, cum ex doctrina Lo-
gica & Physica Maiorem negare debuisset: & peccatum originis non ad classem
accidentium, sed ad ipsam substantiam retulit.

Verba
Concord.
de statu
Controver-
siae princi-
pali.

6. Huic ergo errori Concordia nostra declarationem primi articuli opposuit:
unde principalis controversiae status hic resultat: An peccatum originale sit proprie-
& aeq. omni discrimine I P S A hominis corrupti NATURA, SUBSTANTIA
& ESSENTIA, aut certe principalis & praestantissima pars ipsius substantiae,
in summo suo gradu & in summis ipsius viribus considerata. An verò inter homi-
nis substantiam, Naturam, Essentiam, corpus & animam, etiam post lapsum huma-
ni generis, & Originale peccatum aliquod sit discrimen, ita, ut aliud sit ipsa Na-
tura, & aliud I P S V M peccatum Originis, quod IN natura corrupta hereat &
Naturam etiam depravet.

ἀν' ἑαυτῶν
Methodi
authorum
Concordiae

7. At verò eā Methodi ἀν' ἑαυτῶν Concordia authores hunc primarium sta-
tum explicarunt, ut, ne charybdin furoris tum recentium tum veterum Mani-
cheorum vitaturi, in periculosissimam heresis Pelagiana & Synergistica Scyllam
inciderent.

Verba
Concord.
de statu
controv.
minus
principali.

8. Unde controversiae status minus principalis ulterò emergit: Vtrum pecca-
tum originis sit tale accidens, quod Naturam sive substantiam hominis non mo-
dò in potentiis & viribus suis naturalibus, sed & in rebus spiritualibus incorruptam
perfectam & integram reliquerit: Vel, an hoc malum sit tantum externus quidam
nullius propè momenti nevus, aut aspersa macula, aut corruptio tantum acci-
dentium & qualitatatum, cum qua & sub qua nihilominus Natura
suam bonitatem & vires in rebus spiritualibus habeat
& retineat.

CA-

CAPUT II.

I. Thesis sive Affirmativa de controversiæ
statu primo & principali.

1. Hanc liber Conc. ita informat: Credimus, docemus & confitemur, Verba
quod sit aliquod discrimen inter IPSAM hominis NATURAM, non Concord.
tantum, quemadmodum initio à Deo purus & sanctus, & absq; peccato
homo conditus est, verum etiam, qualem iam post lapsum naturam illam
habemus: discrimen, inquam, inter IPSAM Naturam, qua etiam post la-
psum est, permanetq; Dei creatura, & inter peccatum originis: Et, quod
tanta sit illa Natura & peccati originis differentia, quanta est inter opus
DEI, & inter opus Diaboli.

2. Huius discriminis immotam certitudinem ex precipuis fidei nostræ
articulis evidenter lib. Conc. demonstrat.

ἀποδείξει
τῆς διαφε-
ρῆς

I. Ex articulo Creationis hunc in modum: Homo etiã post lapsum est &
manet ratione suæ substantiæ DEI opus. Iob. 10. v. 8. 10. 11. Deut. 32. v. 6.
Psal. 139. Psal. 100. Mal. 2. At verò peccati creatio Deo adscribi neququam
potest. Psal. 5. v. 5. sed Satane Iob. v. 44. Ergo.

1. Ex Art.
creat.

II. Ex incarnatione Filij Dei. Si Christus nobis suis fratribus substan-
tiã suæ humanitatis per omnia ὁμοῦς est (solum excepto peccato): utiq;
si ipsa hominis ἁμαρτία peccatum esse statuatur; consequens erit Christum
quoq; peccatum assumpsisse, aut certè nobis respectu assumptæ carnis, ὁμοῦ-
σιον non esse. At verò utrunq; hoc consequens longè est absurdissimum.
Ergo. Assumptum probant illa Scripturarum testimonia: Iob. 1. v. 4. Luc.
1. v. 35. Hebr. 2. v. 14.

2. Ex in-
carnat Fi-
lij Dei.

III. Ex ipso redemptionis opere. Christus venit ut hominem tanquam
opus suum non destrueret; sed redimeret. Psal. 130. Ipse redimet Israel &c.
Matth. 1. v. 21. peccatum verò ut Sathanae opus, non redimeret, sed dissolve-
ret. I. Iob. 3. v. 8. Aliud proinde homo: aliud peccatum.

3. Ex Re-
dempt. ope-
re.

IV. Ex articulo Sanctificationis. A quo Spiritus sanctus hominem in
Baptismo abluit, emundat, sanctificat: id non est ipse homo. Atqui verò
emundat, abluit & sanctificat ab originis peccato. I. Iob. 1. v. 7. Sanguis IE-
SV Christi. Ergo.

4. Ex artic.
Sanctific.

V. E resurrectionis articulo, Homo in novissimo die resurget. Iob. 5. Ex Re-
19. vers. 26. Peccatum verò non: sed ut Lutherus in cap. 38. Gen. testatur: surr; Artic.

SEPARABITVR caro nostra à peccato: sunt enim peccatum & mors
MALA SEPARABILIA.

6. Impin-
git Flacia-
nismus in
omnes par-
tes doctri-
nae Cate-
cheticae
1. In legem
2. In Orat:
Dom.
3. In Bapt.
4. In Sacr.
Coenae.
5. In absol-
doctrin.

VI. Quibus subiungimus, Flacianum hunc errorem, praeterquam quod palpabili sua sutilitate semetipsū satis superq; refutet, in omnes Ἰης πᾶνδο-μαθείας κατ'ἑξῆς partes graviter impingere. 1. Lex non simplici-ter naturam à Deo conditam accusat: sed propter aliud vel in natura ha-rens, vel à natura, hoc est, ab homine perpetratum. Esa. 59. vers. 2. Iniqui-tates vestrae. 2. Oramus in oratione Dominica: Remitte Nobis peccata nostra. 3. In Baptismo non homo; sed peccatum suffocatur. 4. In sa-cra coenā corpus Christi pro Nobis traditur, & sanguis eius pro nobis effun-ditur in Remissionem PECCATORVM. 5. Quoad absolutionis doctrinam; homo peccator absolvitur & à PECCATIS liber pronuncia-tur. Ex quibus omnibus evidens discrimen inter hominem corruptum & i-psam hominis corruptionem, cuius ad oculum patet.

7. Impingit
in princi-
pia Philo-
sophica.

VII. Sin etiam haec res philosophicè disceptur, nequaquam hoc malum ad substantiae classem referti poterit. 1. Quia non competit ei substan-tiae definitio. 2. Est εἰρησις sive privatio iusticiae originalis. Iam verò nulla privatio potest fieri forma aut substantia. 3. In primis parentibus habuit hoc malum rationem peccati actualis, Iam autem nullus unquam a-ctus mutatur in substantiam.

II. THESIS.

De Controversiae statu minus principali.

Verba
Conc.

3. Hanc liber Conc. perspicuè proponit hunc in modum: Credimus, do-cemus, & confitemur, peccatum originis non esse levem, sed tam profundam humane naturae corruptionem: quae nihil sanum, nihil incorruptum in cor-pore atq; anima hominis, aded in interioribus & exterioribus quoq; viribus eius reliquit. Hoc quantum sit malum reverà est nobis inexplicabile: ne-que humane rationis acumine indagari: sed per verbum Dei revelatum duntaxat agnosci potest. Et sanè affirmamus, quod hanc Naturae corruptio-nem ab IPSA Natura Nemo, nisi solus Deus separare queat: id quod per mortem in beata illa Resurrectione plenè fiet.

Fundamē-
ta affir-;

4. Affirmativa huius fundamenta ex sententia Concordiae nostrae haec
posuimus.

I. Immo-

I. Immutata ista sacrarum literarum testimonia Esa. 1. v. 6. Eph. 5. v. 3. 1. Scripturae Test. Eph. 4. v. 18. 2. Cor. 4. v. 4. Psal. 57. v. 5. Rom. 6. v. 12. Rom. 3. vers. 11. ubi similiter addimus consensum Ecclesiae Catholicae: quae uno ore unaq; fide canit: Lapsus Adae &c.

II. Gravitate poenarum, quae ob hoc peccatum hominem manent. 1. 2. Gravitatis Ira Dei. Eph. 2. 11. Omnis generis miseriae & huius vitae calamitates. Rom. poenarum- 5. III. Tyrannis Sathanae. 2. Tim. 2. 2. Eph. 2. 1. Pet. 5. Gen. 3. IV. Mors corporis. Gen. 2. vers. 17. Rom. 6. v. 17. V. Aeterna damnatio corporis & animae Apoc. 20. v. 6. Ioh. 3. Matth. 5. v. 19.

III. Medium illud quo peccatum in hac vita in credentibus tolli potest. 1. 3. Media, Ioh. 1. v. 7. Sanguis Iesu Christi. Rom. 5. v. 17. 18. 19. 1. Cor. 15. v. 21. & 22. quo tolli potest in credentibus 1. Cor. 1. v. 30. Act. 26. v. 18. Rom. 3. v. 23. 24. 25.

IV. Quia in morte demum hoc peccatum aboletur Rom. 6. v. 7. Qui mortuus est, justificatus est à peccato. 4. Quia in morte demum aboletur.

V. Auctoritatem B. Lutheri, à quo hoc peccatum naturale & personale, dicitur quod non actionem aliquam internam, sive externam, ut peccata actualia; sed personam ipsam ineffabiliter contaminavit. 5. Auctoritas Lutheri

5. Quibus ita stantibus, perspicuum evadit, doctrinam Ecclesiarum nostrarum, nequaquam hoc malum extenuare, vel Pelagianam heresim ab orco revocare, quando illud ἐνυπόστατον ἔστι & συρρετικόν, non verò ἁπλοῦδες & ἀυτοῦσάτων profiterur. 1. Quia ipse Paulus hoc malum **HAERESCENS** nominat. Rom. 7. ideoq; non ipsam carnem; sed quiddam in carne habitans. 2. Intelligimus accidens non in superficie naturae haerens, sed ad intimos recessus magnitudine suâ penetrans: adeo ut nihil tam dirum, tamq; horrendum de nostrae naturae corruptione dici queat, quod non Ecclesia nostra libenter admittant: dummodo inter hominem corruptum & ipsam corruptionem in concussum relinquatur discrimen. 3. Rationes Pelagiani nunquam docuerunt hoc malum esse accidens, Naturae hac in vita separabiliter inherens; sed contenderunt, humanam naturam etiam post lapsum mansisse integram & illaenam: Nos è contra confitemur, peccatum hoc homini ut accidens quidem inherere sine essentiali corruptione, 1. Paulus vocat Adhaerescens. 2. Non intelligimus leve accidens.

sed non absq; horrenda corruptione virium ac qualitatum, tum interiorum tum exteriorum animae & corporis.

CAPUT III.

Ἀντίθεσις sive negativa.

1. Tertium hoc caput hereticos sibi vendicat, qui vel ex parte ἰλλείψως: vel ex parte ὑπερβολῆς peccarunt.

I. Classis errantium in defectu.

1. Pelagiani.

Anathemat. 3.

2. In hac primas tribuimus Pelagianis, qui asserebant. 1. Nullam esse peccatum, nisi quod voluntate propria, & sic non propagatione, sed exemplo atq; imitatione committeretur. 2. Peccatum Originis esse tantum reatum sive culpam, quae ex aliena transgressione absq; ullo aliquo nostro vicio sit contracta. 3. Parvulos carnaliter secundum Adam sine ullo peccati vinculo nasci. 4. Pravas concupiscentias esse essentielles naturae proprietates; non verò peccatum. 5. Hominis naturam in rebus spiritualibus adhuc puram mansisse. 6. παιδοβαπτισμόν non esse necessarium ad originalem hanc labem expiandam. August. lib. 2. de grat. & peccato orig. c. 13. Id. lib. de her. heresi 88. Idem lib. 5. contra Iulianum. c. 3.

2. Romanenses
Anathemat. 4. 5.

3. Hanc Pelagianam heresin posteris temporibus suam fecerunt. I. Romanenses, qui comminiscuntur. 1. Neq; culpa neq; poenae rationem habere. 2. Esse aspersam quandam maculam, sub qua nihilominus natura bonas suas actiones habeat in rebus spiritualibus. 3. Concupiscentiam non esse universalem corruptionem omnium humanarum virium; sed duntaxat quarundam, & quidem tantum inferiorum. 4. Hanc denique non esse peccatum, sed fomitem peccati. Ioh. à Daventria in ref. art. 2. Aug. Conf. Andradius in explic. Cathol. p. 192. Pighius de rel. Cathol. Concil. Trid. sess. 5.

3. Cingliani.

II. Cingliani. 1. Cinglius scribit peccatum Originis non proprie esse peccatum, sed defectum naturalem. 2. Morbum quidem esse concedit; qui tamen ipse damnabilis non sit. 3. Eò hodieque alludit universa ista cohors Sacramentaria, sanctam progeniem ex fidelibus asserens parentibus. Cinglius in rat: fidei ad Carolum Imperatorem scripta. Idem in lib. de Bapt. p. 89. Tom. 2. op. Calvin: lib. 4. Instit. c. 16. Beza in Colloq. Mompel. Martyr. &c.

III Anabaptistæ, qui & ipsi huic errori subscribunt. 1. Peccatum hoc originis in N. T. sic iam esse expiatum, ut in fantes ab eo immunes hunc in mundum nascantur: ideoq; Baptismo non indigeant. 2. Esse tantum rea-

tum reatum ex alieno delicto contractum. 3. Esse commentum Augusti-
ni. Colloq. Frankental.

IV. Synergistæ, qui nugantur Naturam hominis & essentiam non
prorsus esse corruptam: sed aliquid boni adhuc in homine reliquum, etiam
in rebus spiritualibus: videlicet bonitatem, capacitatem, aptitudinem, fa-
cultatem, industriam aut vires, quibus in rebus spiritualibus inchoare aliquid
boni, operari aut cooperari valeat.

4. Synergi-
stæ.

Anathe-
mat. 6.

4. Caterum ad hosce errores omnes expeditissima est responsio, si se-
quentia isthac probè animo expendere.

ἀπὸ φασίς
ad enume-
ratos flos-
culos.

I. Ἡ ἀμαρτία ἐστὶν ἢ ἀνομιὰ: 1. Ioh. 3. v. 4. ideoq; ad peccati consti-
tutionem non necessario requiritur hoc ἀεθροίμενον ut sit voluntarium:
siquidem Apostolus quod nolit, se operari, disertè fatetur. Rom. 7. v. 10.

1. Non o-
mne pecca-
tum est vo-
luntarium.

II. Malum hoc omnibus indiscretè hominibus, sive infantes illi sint sive
adulti, sive à fidelibus sive infidelibus parentibus ortum, trahant, inheret
Probant. I. Scripturæ dicta. Rom. 5. v. 12. Psal. 51. v. 7. Ioh. 14. v. 4. Eph.

2. Peccatū
originis o-
mnibus ho-

2. v. 3. II. Varia & multiplex perversitas, quæ infantibus à primâ statim
infantia inesse viderur: Vnde Hieronymus vel primulos infantium vagitus
malitiæ in ipsis absconditæ documenta esse affirmat. III. Calamitates

inhabent, et-
iā infantia-
bus quan-
tum vis à

privatæ & publicæ, quæ etiam infantes attingunt. IV. Parentes fide-
les generant secundum carnem: non secundum spiritum: ideoq; sanctitas
non ex primâ generatione in sobolem transit; sed demum Ἰησὺς περὶ γεν-
εσις beneficio obtingit Ioh. 1. v. 12. Ioh. 3. v. 6.

fidelibus
parentibus
progenera-
tis.

III. Malum hoc propagatione carnali; non verò sola imitatione in nos
Adæ posteros transit, ita ut quam primum in utero materno concipimur, pro-
pter transgressionem Adæ confusione induamur. Rom. 5. vers. 12. Psal.
51. vers. 7.

3. Propa-
gat. carnali
propagati-
one.

IV. Peccatum originis in infantibus etiam suo modo est voluntarium.
1. Quia à Protoplastorum mala voluntate sumsit exordium. August. lib. 1.
Retract. c. 13. 2. Quia heret in voluntate cuiusq; hominis, tanquam in
subiecto. Matth. 15. v. 19. Ex corde exeunt. 3. Patet hoc ex actu secundo
voluntatis; quia homines non regenerati imò infantes quoq; hoc malo sum-
mè delectantur.

4. Est vo-
luntarium.

V. Concupiscentia, quæ in renatis in hac vita est reliqua, propriè
peccatum est. 1. Quia imaginem Dei in sanctis ita labefactavit, ut ho-
mo hac in vita ad plenariam restorationem non possit pertingere Psal. 3.
v. 12. 2. Renatis dominatur mors. Mors autem stipendium peccati
Rom. 6.

5. Concu-
piscencia
in renatis
reliqua pecc-
atum est.

Rom. 6. v. 7. 3. Paulus septimo capite ad Rom. ei assignat effecta, quæ peccati sunt propria. v. 7. 14. 17. 20. 23. 4. Paulus à renatis mortificandam eam subinde inculcat Rom. 6. v. 6. Gal. 5. v. 4. 24. 5. Proinde rectè dixit Augustinus: Dimittitur concupiscentia carnis in Baptismo, non ut sit, sed ut non imputetur. lib. 1. de nupt.

II. Classis errantium in excessu.

1. Manichæi.
Concord:
anathemat.

7.

Anathemat.
eis. 8.

5. In hac classe primâ quasi in acie collocamus ex sententia Concordiæ nostræ Manichæos veteres & recentes, qui docebant: peccatum Originis tanquam quiddam essentielle atq; substantiale in Naturam esse infusum, & cum ea permixtum, quemadmodum venenum & vinum miscentur. Item, Non ipsum animale humanum, sed aliquid aliud, & peregrinum quiddam, quod sit in homine, peccare: ideoq; non ipsam Naturam, sed tantum peccatum Originale in natura existens, accusari.

6. Horum incrustatos errores phalcratis denuò velis in Ecclesiam invexit maleferiata ista Flaciana colluvies, blasphemans: 1. Imaginem Dei, ad quam homo primitus conditus, fuisse essentialem ipsius formam. 2. Hanc per lapsum prorsus in contrarium esse inversam, ut iam homo, qui erat viventis Dei viva imago, nunc sit sua essentia vera imago Sathane. 3. Deum ipsi peccato originis esse propitium, & hoc in gratiam recipere. 4. Hoc Spiritum sanctum sanctificare: ac proinde peccatum hoc baptizari & salvari.

7. Atqui absurdum hoc dogma cum ex pia affirmativa nostra solide jugulari & confodi queat: hæc vice disputationis filum abrum-
pimus. Atq; hæc de primo Article.




Corol-

Corollaria.

- I. *Maria non caruit peccato Originali.*
II. *Radix Originalis peccati in infantibus non est prorsus o-
ciosa: ideoq; ne quidem actualium peccatorum prorsus & sim-
pliciter sunt expertes.*
III. *Totus homo in scriptura ante regenerationem Caro dicitur.
Unde rectè concluditur: Omnia eius opera
esse carnalia.*

F I N I S







uli I.
ginis
M V=
AN Æ
E,
gratiã
o
i Vari,
ARTI
L. D. ET
ademiã VVit^o
am Theologi-
exhibet
TENIUS
1603. ho-
Cratoniana.

